

*Liber II.*

47

*113. Ad Philonem de poena mortis sublata.*

Consuetam mortis poenam Rex sustulit Aldo.  
 Nunc sibi consciscit subditus ipse necem.  
 Philosophia, Philo, nova decipiebat utrumque:  
 Hæc hostis poenæ est, non inimica neci.

*114. Ad Amicum.*

Crede mihi, mors est vitæ, quam vixeris, echo.  
 Si bene non vivas, nec moriere bene.  
 Sæpius optavi vitæ horam scire supremam.  
 - Vive, quasi quævis hora suprema foret!

*115. De calceis modernis.*

Calceolos vidi (rifum teneatis amici)  
 Cuspis in his minimum sesquipedalis erat.

*116. De iisdem.*

Amplius haud miror, capiti quod desit acumen.  
 Istud calceolis constat inesse modo.

*117. Epitaphium.*

*D. Joannis Nepomuceni Frey Status Ecclesiastici in  
 Brisgovia Syndici, mortui Friburgi  
 8 Julii 1803.*

Hoc Nepomuceni Frey continet ossa sepulchrum,  
 Quem cito mors rapuit; sed rapuisse dolet.  
 Scilicet ipsa Virum, cum res numeraret ab illo  
 Præclare gestas, credidit esse senem.

*118. Mors et Excubitor (Schilbwache)  
 ad palatium Principis Choridonis.*

*Ex.* Principem adire nequis, nisi sit tibi scripta  
 facultas.